

QUÆSTIO VI.

DE ORDINE ASSUMPTIONIS.

Docet in ea Verbum carnem sumpsisse mediante anima, et animam mediante spiritu, sive mente: nec prius animam assumpsisse, quam carnem, sed omnia simul tempore, cum præcedentia, seu prioritatibus naturæ, et causalitatis, ut in recta philosophia designantur. Quæ omnia latius in articulis probat, quos brevitatis causa omittimus, ut ad difficultates præcipuas disputatione sequenti procedamus.

DISPUTATIO VII.

DE TERMINO ASSUMPTO IN INCARNATIONE.

ARTICULUS I.

Utrum repugnet de potentia absoluta assumi naturam terminatam propria subsistentia?

I. Communis resolutio doctorum est, non posse assumi hujusmodi naturam sic terminatam. Est tamen difficultas non modica in reddenda ejus ratione. Urget in primis: Quia natura assumpta ab una Persona divina potest terminari, et assumi ab alia, non assumpta ipsa personalitate divina (ut diximus disputatione præcedenti, articulo primo) ergo etiam natura terminata propria subsistentia poterit assumi a subsistentia divina non assumpta personalitate propria.

II. Secundo, quia personalitas propria non tollit potentiam obedientialem naturæ, ut terminari possit a personalitate divina, quia licet a

propria subsistentia terminetur, tamen adhuc extensive terminabilis est a Persona divina, ut eminenter continente talem terminationem.

III. Tertio, quia posita una natura in diversis locis, sicut nunc humanitas Christi in cælo est, et in sacramento, non apparet, cur non possit humanitas in sacramento ad propriam personalitatem terminari, retenta humanitate in cælo in personalitate Verbi.

IV. Cajetanus quæstione præcedenti tertia, articulo sexto rationem hujus repugnantie constituit in diverso modo terminandi; quo terminat propria personalitas, et quo terminat aliena, quia sunt modi repugnantia terminari in se, et in alio. Quam repugnantiam explicat Cajetanus; primo, quia propria personalitas oritur ex propriis principiis naturæ, ex quibus resultat, et cum ista natura non possit se extendere ex propriis, nisi ad constituendam unam personam, et repugnat ipsam personalitatem assumi; ideo hæc humanitas sic terminatur propria personalitate, quod neque etiam extensive potest per aliam terminari.

V. Cæterum hoc solum probat,

quod non potest naturaliter ex iis principiis terminari alia personalitate. An vero supernaturaliter possit, præsens quæstio est, quam non videtur expedire hæc Cajetani philosophia; et ideo addit secundum modum repugnantia, quod cum natura terminetur propria personalitate constituendo personam, quia resultat persona ex ipsa natura; assumptio vero fit ad personam jam constitutam, et præsuppositam; ideo propria personalitas reddit naturam inassumptibilem, quia non posset talis natura assumi, nisi assumatur personalitas, si quidem constituitur persona ex principiis talis naturæ: ipsam autem personalitatem assumi omnino repugnat, quia non est natura assumptibilis, sed terminus; terminus autem non est terminabilis; idem autem est assumi, quod terminari.

VI. Quarto denique, quia Persona divina terminat naturam alienam ratione infinitatis; personalitas autem propria ex naturali adæquatione cum natura, et naturæ cum illa: unde posita tali subsistentia, adæquate repugnat a quacumque alia assumi. Neque in his implicationibus quiescit intellectus, quia licet natura adæquetur cum propria personalitate connaturaliter, nondum tamen ostenditur, quod etiam obedientialiter, et etiam secundum ordinem supernaturalem adæquetur.

VII. Pater Suarez aliam addit implicationem, quia modus essendi per se, et in alio sunt modi repugnantia, sicut in accidente repugnat, quod simul sit in alio inhærendo, et per se sine subjecto; et quod eadem virga simul sit recta, et curva, quia sunt modi, quorum unus affert intrinsicè negationem alterius. Quod non currit respectu plurium Personarum divinarum, quia in omnibus illis natura est eodem modo, scilicet in alio; sicut e contra natura

divina est in omnibus tribus Personis per se, tamquam in propriis, et connaturalibus terminis. Sed quia in Verbo natura humana non est in alio, quasi inhærens, sed ut vere subsistens, addit Suarez modum unionis, et propriam subsistentiam repugnare in hoc, quod ut subsistens in se non sustentatur ab illo, etsi subsisterent.

VIII. Sed possumus objicere Suariorum id, quod ipse Cajetano, cur repugnat sustentari naturam in se naturaliter, et a Verbo supernaturaliter. De hoc enim est quæstio. Nam quod ipse reprehendit in Cajetano, quod terminari in se adæquate, et terminari ab alio supernaturaliter, excellentiori modo non repugnat; idem dicemus de sustentari in se adæquate naturaliter, et ab alio supernaturaliter; sustentari enim, et terminari idem sunt. Quare tam diminuta est ratio Suarez quam Cajetani.

IX. Quare omissis aliis explanationibus, amplius sententiam Cajetani (ad quam etiam reduci potest sententia Suarez) explicamus, quod subsistentia propria importet intrinsicè rationem totius completi ex propriis principiis oritur. Si autem assumitur ab alia Persona, hoc ipso non manet in se totum, et completum ex propria natura, quia manet assumptum, et tractum ad terminum personalem, qui habet rationem totius completi respectu naturæ assumptæ, et sic erit totum, et non totum: totum in se, quia terminatum propria subsistentia; non totum, quia conjunctum alteri, quod est totum respectu illius substantialiter, et subsisterent. Sicut repugnat manum uniri homini tamquam supposito, nisi sit pars illius, nec potest esse pars si in se sit suppositata, et completa. Et quia ipsa personalitas non est assumptibilis, quia non est res terminabilis, sed terminus;

ideo recte dicit Cajetanus, quod natura, quæ subest propriæ personalitati, non potest assumi, nisi vel ipsa personalitas assumatur (quod repugnat) vel destruat, ut sola natura assumatur. Si vero natura manet cum propria personalitate, hoc ipso manet ex propriis principiis completa tamquam quoddam totum, et sic redditur inassumptibilis ab alio toto. Quomodo autem hoc non currat respectu trium divinorum Personarum, in solutione argumentorum dicemus, ubi tota implicatio magis explicabitur.

SOLVUNTUR OBJECTA.

X. Ad primam difficultatem respondetur, naturam semel unitam uni Personæ divinæ, posse uniri alteri Personæ divinæ, non tamen si subsistat in propria personalitate; et disparitas est, quia natura unita Personæ divinæ, non est in se quoddam totum ex propriis, et intrinsicis principiis, sed communicatur illi terminatio, et subsistentia ab extrinseco. Unde ex parte ipsius naturæ non est impedimentum, ut ab alia extrinseca terminatione terminetur, nisi ipsi termini, et subsistentiæ se excludant ab eadem natura. Non autem se excludunt Personæ divinæ; tum, quia sunt subsistentiæ correlativæ, quæ simul esse possunt, et non solum successive: si alias habent eundem modum terminandi eandem naturam. Cæterum si natura simul constituitur subsistens ex propriis, manet ab intrinseco terminata, et quoddam totum: unde remanet inhabilis, et repugnans, ut assumatur ab altero, tamquam a completivo illius in ratione totius.

XI. Exemplum est, si duo homines uterentur una manu, vel uno pede, illa manus censeretur esse pars du-

plicis suppositi, seu totius, et in utroque communicaret: si tamen manus, vel pes esset separata, et in se suppositata, repugnaret intelligere, quod unirentur alteri supposito. Nec posset natura semel subsistens assumi nisi ipsa personalitas propria assumeretur, quia licet distinguatur subsistentia a natura, repugnat tamen, quod natura eadem simul sit pars et totum, completa, et incompleta in genere subsistendi, quia isti duo status sunt inter se repugnantes. Esse enim subsistens ex propriis, seu terminatum, involvit negationem dependendi ab alio ut a terminante: assumi autem ab alia Persona dicit, quod sit dependens ab illa ut a termino, ad quem assumitur ut terminetur, quia sunt duo effectus repugnantes, et sic non possunt eidem convenire, etiam ex diversis principiis.

XII. Ad secundum respondetur, non manere potentiam obedientialem in natura, ut quando est terminata, et completa ex se, adhuc sit terminabilis, et complebilis ab alia, quia sic esset completa et incompleta independens ab alio termino et dependens. Et quando additur, quod natura terminata in se adhuc est terminabilis altiori modo, et extensive, respondetur non esse, quia hoc ipso, quod natura est terminata in se, tamquam quoddam totum, habet conditionem repugnantem, ut possit trahi, et assumi ad communicationem alterius tamquam ad totum; quando autem trahitur ad unam Personam divinam ab intrinseco non est terminata, et completa, sed tamquam pars; et ideo manet communicabilis pluribus Personis extrinsecis, si tales Personæ non se excludant mutuo a tali natura.

XIII. Ad tertiam difficultatem respondet pater Suarez concedendo humanitatem positam in duobus locis posse in uno terminari a pro-

pria personalitate, et in alio a divina, quia tunc habet vim duplicis subjecti; sicut eadem virga posita in duobus locis potest esse in uno curva, et in alio recta; et accidens potest in uno loco inhærere, et in alio non.

XIV. Sed immerito hoc concedit Suarez, nam terminatio propria, et aliena in subsistentia, esse totum et partem, completum et incompletum, sunt effectus abstrahentes a dependentia loci, non sicut curvum et rectum, quod in se includit diversum situm, et locationem. Quare eandem repugnantiam invenio, sive natura sit in eodem loco, sive in diversis, quia isti effectus (ut diximus) sequuntur naturas rerum secundum se, cum sint effectus substantiales, non per ordinem ad locum; prius est enim esse naturam in se subsistentem, vel in alio, quam habere ordinem ad locum, et existere in uno, vel in pluribus locis.

ARTICULUS II.

Utrum natura in Verbo appetat propriam personalitatem; ita ut si dimitteretur a Verbo naturaliter resullaret?

I. Occasionem præbet huic difficultati; tum D. Thomas hic quæst. iv, art. ii ad tertium; tum si natura assumpta in se manet ut pars, et incompleta, videretur semper inclinari in suum terminum, et proprium complementum, cum quo habet naturalem proportionem, et connexionem. Et hanc sententiam sequitur Vazquez disputat. xxxiv, Cabrera quæstione iv, artic. i, disput. viii. Et fundamentum sumitur ex duobus. Primum, ex ratione; secundum, ab exemplis.

II. Ratione quidem, quia natura-

lis appetitus non est aliquis actus, vel effectus dimanans a potentia, sed præcise ab ipsa natura ut habente proportionem, et convenientiam cum altero, quia ipsa proportio naturalis inclinatio quædam est, et propensio ad rem, quæ naturaliter appetitur: ergo quamdiu manet privata suo termino, vel perfectione connaturali, habet appetitum, et naturale desiderium, seu inclinationem ad illam: sicut enim habet privationem, ita et appetitum. Ex eo autem quod humanitas est in Verbo, licet altior, et perfectior persona sit, non tollitur quin propria subsistentia sit illi connaturalis, et proportionata, et habeat veram illius privationem; ergo et appetitum.

III. Ab exemplis confirmatur, quia natura rationalis est perfectissima forma, quam potest habere materia sublunaris, et tamen habita illa adhuc appetit alias formas. Et intellectus videns Deum adhuc appetit ex effectibus cognoscere illum connaturali modo. Similiter accidens perfectiori modo existit separatum, quam inhærens: et tamen appetit inhærentiam quando separatum est: ergo similiter humanitas in Verbo appetit propriam subsistentiam.

IV. Denique confirmat Cabrera, quia in illud aliquid inclinatur naturaliter, quod ex sola subtractione impediens sine nova actione profluit ex ipso: ut patet in gravibus; et levibus, quæ naturaliter inclinantur in motus suos, ad quos tendunt, subtracto impedimento: sed ex humanitate, si dimitteretur a Verbo, naturaliter proflueret propria existentia, et subsistentia; ergo naturaliter inclinatur ad illam.

V. Oppositam defendunt Cajetanus hic quæstione iv, art. ii; Medina ibidem dubio ii; Alvarez disp. xxvii; Lorca disp. xxx; Suarez disput. viii, sect. iii; et communi-

ter Thomistæ. Et ejus ratio consistit in eo, quod dicit Cajetanus, quod quando aliquid perficitur per aliquam perfectionem continentem quidquid est in illo, ad quod naturaliter inclinatur, ibi quiescit naturalis appetitus, eodem modo atque in eo, quod naturaliter appetit: unde non amplius movetur appetendo, et desiderando.

VI. Et vis hujus considerationis est in illo verbo continentem quidquid est in illo, etc. Quando enim aliqua perfectio non solum est melior illa, ad quam naturaliter inclinatur aliquid, sed continet quidquid in illa est, necessario debet quiescere appetitus in ea, sicut in propria perfectione, quia ideo in propria perfectione quiescit, quia est conveniens, et proportionata suæ inclinationi; ergo si totum hoc est in altero, etiam ibi quiescit, verbi gratia, si esset aliqua forma, quæ contineret omnes perfectiones omnium formarum corruptibilium, tunc materia informata tali forma plene satiaretur, nec aliud appetere; et si esset aliquid continens quidquid est in centro respectu lapidis, lapis in illo existens quiesceret, sicut in centro. Personalitas ergo divina non solum terminat naturam humanam, tamquam perfectior subsistentia succedens propriæ, (sicut anima rationalis succedit in materia alteri formæ) sed tamquam continens totam perfectionem propriæ subsistentiæ, quia infinita est; ergo satiatur ibi appetitus, quia ibi invenitur totum, quod in propria subsistentia.

VII. Denique, auctores contrarii vix possunt se expedire a duobus inconvenientibus. Primum est, quia si humanitas naturaliter appeteret propriam subsistentiam, etiam naturaliter appeteret dimitti a Verbo, quia consecutio propriæ subsistentiæ essentialiter dependet a dimis-

sione Verbi: sicut si lapis naturaliter appetit locum centri, necessario etiam, et naturaliter appetit recedere a loco sursum: secundum est, quod humanitas pateretur violentiam in Verbo, quia privaretur illo quod naturaliter appetit; appetitus autem naturalis frustratus violentiam patitur.

VIII. Nec obstat, quod dicunt Vazquez, et Cabrera, violentum solum esse illud, quod est contra naturalem inclinationem activam, vel formalem, non passivam, et requirit resistantiam in contrario: alioquin separatio animæ rationalis esset violenta, cum tamen naturaliter desinat esse in corpore, quia naturaliter homo moritur. Humanitas autem solum active, non passive se habet ad subsistentiam.

IX. Sed hæc solutio ex duplici capite est omnino incerta. Primo, quia non constat humanitatem solum passive se habere ad subsistentiam; quia naturaliter dimanaret subsistentia ab humanitate, si dimitteretur a Verbo: sufficit autem ad violentum impedire naturalem emanationem alicujus: secundo, quia sufficit passiva inclinatio, et appetitus ad aliquid, ut patiat violentiam si frustratur, ut ostendimus quæstione IX, primo physicorum.

X. Sed inquires, quomodo naturalis appetitus potest quiescere in aliquo supernaturali, circa quod non potest naturaliter tendere; ergo neque quiescere; humanitas autem est in Verbo tamquam in aliquo supernaturali. Respondetur, quod quando illud supernaturale est perfecte satiativum naturæ, et continens ejus perfectionem, licet non possit tendere in illud per motum, bene potest in illo jam adepto requiescere. Ratio est, quia quando movetur, nondum afficitur ab illo supernaturali, et cum non sit sibi

debitum, sed excedens, non potest naturaliter ferri in ipsum. Postquam autem est adeptum perficitur, et actuatur ab ipso, et quia supplet naturalem perfectionem, potest in illo quiescere, supposita acquisitione illius.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XI. Ad primum a principio respondetur ex dictis quod licet appetitus naturalis habeat pro objecto id, quod est sibi proportionatum, et conveniens, tamen si loco illius habeat aliquid eminentius continens quidquid est in tali termino, non movetur in illud, sed quiescit. Unde non valet illa consequentia: Est privatus naturali perfectione; ergo appetit illam naturali appetitu, et motu, quia ad hoc requiritur, quod non solum illa perfectio, qua privatur sit ei proportionata, et connaturalis; sed etiam, quod non sit habita, et possessa, neque in se, neque in alio eminentiori, in quo plene contineatur; sed tunc quiescit in illo, et non movetur non minus, quam si propriam haberet perfectionem, unde licet maneat in natura principium appetendi, et movendi se ad illam perfectionem, hoc erit si amoveatur id per quod suppletur.

XII. Ad secundum respondetur, exemplum de anima rationali non esse ad rem, quia licet sit perfectissima forma, non tamen continet omnem perfectionem aliarum; ita ut suppleat quidquid est in aliis formis, quia non habet infinitatem, sicut Persona divina. Multo minus est ad rem exemplum de visione divina, quia illa non est incompatibilis cum cognitione in proprio genere, et ex effectibus, et sic supponit privationem talis cognitionis, neque excludit illam, unde non tollit ap-

petitum circa illam. Similiter accidens separatum non accipit aliquam formam continentem perfectionem inhærentiæ, sed solum suspendit Deus inhærentiam ad subiectum, supplendo concursus subiecti: unde per hoc non tollitur quin appetat inhærentiam, sicut anima separata appetit conjunctionem ad corpus, neque ipsa separatione satiatur.

XIII. Ad ultimam confirmationem dicitur, quod pro utraque parte est dubium, an subsistentia, et existentia dimanent a natura, sicut et aliæ propriæ passiones, loquendo de emanatione proprie dicta; tum, quia existentia non est propria passio naturæ, cum non conveniat illi necessario, sed contingenter; subsistentia etiam non est proprietas, sed terminus, et complementum naturæ; tum, quia ad hujusmodi emanationem supponitur res existens, et producta, quia illa emanatio habet se ad modum efficientis: ad efficiendum autem præsupponitur existentia, et a fortiori subsistentia, quæ ante existentiam est, seu intelligitur; non enim emanat aliquid ab eo, quod non est principium quod emanationis, sed tantum quo.

XIV. Ex alia vero parte videtur, quod humanitas ex vi suæ productionis acquisivit debitum existendi, et terminandi productionem, quia licet naturæ, ut sic, non debeat existentia necessario, nec subsistentia sit proprietas ejus, tamen ipsi productioni naturæ debetur terminus ut quod, et existentia in facto esse, ad omne enim fieri sequitur factum esse. Humanitas autem subjecta fuit productioni, et fieri, sed interveniente assumptione fuit impedita illa productio ne haberet terminum proprium, sed illum præstitit assumptio. Ergo si modo dimittatur a Verbo, sequeretur na-

turaliter propria existentia, et subsistentia, non per naturalem connexionem cum natura, sed ex vi primæ productionis, quæ ad illam tendebat; sicut de facto produceretur posita tali actione, si non impediretur per assumptionem.

XV. Quod si dicas: Si datur proprium fieri humanitatis: ergo etiam datur proprium existere, et subsistere in fieri, et sic modo habet humanitas Christi realiter existentiam propriam, et subsistentiam, quia existentia in fieri realis est, non rationis, respondetur dari quidem fieri proprium, sed impeditum ne terminetur, et consequenter non datur existentia, et subsistentia propria realiter, quia hæc non est fieri ipsum, sed terminus ejus, et talis terminus non datur, sed tendentia ad illum.

XVI. Quare ad argumentum ultimum confirmationis respondetur, quod licet ea quæ dimanant ab aliqua natura, sublato impedimento, supponant naturalem inclinationem, saltem ratione actionis, quæ de se tendebat in illum terminum, tamen hæc naturalis inclinatio, et tendentia non movetur, nec appetit in actu secundum illum terminum, quamdiu impeditur per alium terminum suppletum, et continentem in se quidquid per priorem terminum dari poterat; habet tamen in se sufficiens principium, ut moveatur ad propriam subsistentiam, si dimittatur a Verbo; modo tamen de facto ad illam non movetur, sed quiescit in divina omnino.

ARTICULUS III.

Quid de facto fuerit assumptum a Persona divina in humanitate; et quid non sit assumptibile?

I. Dico primo: Omnia, quæ informantur anima rationali in huma-

nitate de facto sunt assumpta a Verbo. Hæc conclusio manifeste sequitur ex fide, quæ docet, quod: Christus est perfectus homo, et perfectus Deus: ergo habet omnia, quæ requiruntur, et concurrunt ad perfectionem hominis: omnes autem partes informatæ anima rationali pertinent ad integritatem, et perfectionem hominis; ergo sunt assumptæ in humanitate.

II. Dico secundo: Inter ea de quibus est opinio, an informantur anima rationali, vel non, certum est (ita ut contrarium sit error in fide) sanguinem esse unitum Verbo divino.

III. Pro quo advertendum est, quod inter philosophos, et medicos est controversia de forma sanguinis, an informetur forma vitali totius; an distincta forma, quæ vitalis non sit. De qua quæstione egimus in libris de generatione, quæst. VIII, art. III. Et ibi tamquam probabilius sumus secuti sententiam D. Thomæ, quod sanguis informatur forma vitali totius, quia vivit, et crescit, et augmentatur, licet non informetur secundum omnem gradum, et perfectionem animæ, sed secundum gradum vegetativum; et est in potentia, ut ex illo fiant partes solidiores, ut carnes, nervi, et ossa, et sic est nutrimentum illarum.

IV. Cæterum, sive sanguis animetur anima totius, sive non, tamen de fide certum est, sanguinem fuisse unitum Verbo divino, quia ita determinatur in extravagantia Unigenitus, de pœnitentia, et remissionibus, ubi dicitur guttam sanguinis Christi, propter unionem ad Verbum, habuisse valorem infinitum. Idem etiam constat ex sacramento eucharistiæ, in quo sub speciebus vini ponitur sanguis, et per naturalem concomitantiam anima, et divinitas, ut diffinit Tridenti-

num sessione IV, cap. III. Et si in triduo mortis Christi consecraretur species sanguinis, non poneretur ibi anima, vel corpus, et tamen ille sanguis esset unitus Verbo; alioquin non verificaretur, quod esset sanguis Christi, nec ille calix posset dici calix sanguinis mei, si sanguis non esset unitus Verbo.

V. Denique: Id communiter docent patres, et Concilia, assumptis se Verbum carnem, et sanguinem. Et est optimus locus ad Hebræos II: *Quia ergo pueri communicaverunt carni, et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem*, ubi æqualiter loquitur Paulus de participatione carnis, et de participatione sanguinis; ergo sanguis fuit unitus Verbo. Videri possunt auctores apud Suarez hic disp. XV, sect. VI, et Vazquez disp. XXXVI.

VI. Ex quibus infero, quod a fortiori illi humores, qui perfectum sanguinem includunt, fuerunt assumpti a Verbo, ut sunt spiritus vitales, et animales, qui sunt purissimæ partes sanguinis decoctæ in corde, et in cerebro, et quidquid aliud perfectionem sanguinis habet, assumptum est a Verbo.

VII. Infertur secundo, etiam alios tres humores, qui pertinent ad temperiem, et compositionem corporis animalis, assumptos esse a Verbo, quia sine illis non vivit corpus, et se habent ut partes ejus. Aliud est de humoribus excrementiis, qui dimittuntur a corpore tamquam superflui.

VIII. Tertio infertur, etiam ungues, et capillos assumptos esse a Verbo, quia certius est habere vitam, quia crescunt, et augmentantur, nec se habent ut superfluitates emittendæ, sed ipsi corpori unitæ; non tamen est de fide de istis, sicut de sanguine. Certum tamen est, quod si aliquid istorum, scilicet capilli, vel ungues præscin-

derentur a corpore, hoc ipso amittebant unionem ad Verbum; tamen sanguis effusus unitus mansit Verbo, sicut corpus mortuum propter specialem rationem, quia deservit redemptioni nostræ illa effusio sanguinis.

IX. Circa ea, quæ non sunt assumptibilia immediate a Verbo, suppono omnem naturam capacem subsistentiæ immediate in se esse assumptibilem a Verbo, quia talis natura non minus continetur intra perfectionem, et continentiam Personæ divinæ, quam natura humana. Est vero difficultas de quibusdam naturis imcompletis, quæ non existunt per se, sed in alio; et quædam habent esse incompletum, solum prout unita ipsi composito; si enim dividuntur, redduntur subsistentia, ut partes integrales, et anima: aliæ habent inhærentia, ut accidentia; possunt tamen conservari per se sine subjecto; et de istis est difficultas, an possint assumi ab existentia, vel subsistentia divina.

X. Dico tertio: Ex naturis imperfectis illæ solum, quæ sunt in se capaces propriæ subsistentiæ, et pro illo statu, quo sunt capaces, possunt assumi ad unitatem subsistentiæ, vel existentiæ divinæ: si vero non sunt capaces propriæ subsistentiæ, vel existentiæ, et assumptibiles non sunt immediate. Et probatur, quia divina personalitas, vel existentia solum assumunt aliquam naturam terminando illam in ratione puri termini; ergo supponunt terminabilitatem in ipsa re assumpta, et loco proprii termini intrant, et subrogantur; ergo res illæ, quæ non fuerint capaces propriæ subsistentiæ, et existentiæ immediate, sed solum medio alio, neque etiam erunt capaces, ut subrogetur in illis immediate subsistentia, vel existentia divina loco propriæ, sed so-